




S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Ubaldus Episcopus. Mansuetudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](#)



S. UBALDUS EPISCOPUS.

Mansuetudo.

Deus, qui eximiam B. UBALDI mansuetudinem, singulari contra dæmones potentia glorificas; da ut virtutem tibi tam acceptam imitantes, liberemur ab hostibus mentis & corporis.

Ora pro possessis à dæmone,

G

TBALDVUS, Eugubii in Umbria valde nobili genere natus, & Cathedralis ecclesiae Clero adscriptus à pueritia, Canonicus & Prior tandem factus est. Cupiens autem Canoniam inter suos restaurare disciplinam, Ravennam ad Portuenses transiit: quorum Regulâ per trimestre informatus, reversusq; in patriam, feliciter executus est quod intenderat. Perusinæ civitatis oblatū Episcopatum recusavit; Eugubinæ excutere non potuit, cogente ipsum anno 1129 Honorio II. Eo in munere singulari prorsus excelluit mansuetudine, tantisq; miraculis clariuit, ut an. 1160 defunctus hac vita, continuo cœperit haberi Sanctus. Id cum auctoritate majori ratū fieri optaret Episcopus Bentivolus, obtinuit à Cœlestino III an. 1192. Corpus, hodie dum incorruptum, à Cathedrali ecclesia subiectum in monte non sine miraculis; tandem una cum ipsa ecclesia cessit Canonicis Regularibus Lateranensibus an. 1513. Secuta translationem plurima prodigia sunt, quæ habentur diligenter collecta à tunc viventibus: Vitam Tebaldus Episcopus successor scripsit.

Servum autem Domini oportet . . . mansuetum esse ad omnes . . . cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. 2 Tim. 2